

**05**

**A**

**2508**





*Angelorum Creatore annuente!*

*De*

# Operationibus An- gelorum,

*PRÆSIDE*

**M. JOHANNES MANITIO, Elstrâ-Lufato,**  
Sereniss. Elect. Sax. Alumno,

*In Electorali ad Albim Academiâ*


die XV. Januarii, Anno 1662.

*disputabit publicè*

*In Auditorio Minori,*

horis matut.

**MATTHÆUS MÛLLERUS,**  
Tetschwizensis Lufatus.



*WITTEBERGÆ,*

Typis MICHAELIS Wendt.

Operationalis An.

golum

PRÆSID

M. JOHANNES BAPTISTUS, ERB-LEHRE



MATTI 252 A 501 ERUS

WITTEBERG

Typis MICHAELIS SEIDER



# Angelorum Operationibus.

## THESIS I.

**P**otentia, quæ in actum non deducitur, frustra est. *βελτίων τῆς ἀσφαλείας δυναμικῶς ἢ ἐνεργειαῖς*, inquit Philosophus l. 9. Met. c. 9. Perfectiones Ergò Angelorum, si in actum non deducerentur, nullæ vel frustra forent, nec ultimum suæ perfectionis gradum haberent Angeli, si planè acquiescerent, nec bonis sibi à Deo largiter concessis uterentur. Utuntur autè bonis hisce divinitùs sibi concessis Angeli, & in actum deducunt. Quousq; tamen actus isti sese extendant, & quomodo eosdem Angeli exerceant, in præsens *Angelo InCreato benè favente* expediemus.

2. Missâ nominis evolutione rem ipsam statim accedimus. *Sunt autem operationes Angelorum actus, quos mediantibus certis accidentibus edunt atq; efficiunt.*

3. Dividuntur *in externas, & internas*. Ille sunt, quæ ad extra in aliud transeunt: *hæ*, quæ intra Angelorum naturam manent.

4. Inter internas primò loco ponenda venit *Intellectio*, quæ definiente B. Dn. D. Scharffio in Pnev. p. 358. *est actus mediante intellectu Angelico elicitus, quò Angeli naturã rerũ intimè cognoscunt, quidque in unaquãq; re verum aut falsum sit exactè perspiciunt.*

5. Infert aliàs Intellectio tria 1. *τῶν ἀδιαίρετων νόησιν*, Conimbricenses Intellectionem indivisibilium dicunt, & est, quando Intellectus unum cum aliò non componit, sed nudè concipit, nihil affirmando vel negando, ac dicitur Intellectus simplex. 2. *σύνθεσις καὶ διαίρεσις*, quando conceptum conceptui jungit, aut conceptum à conceptu disjungit. 3. *ἀρίστων*, quando Intellectus per examen rationis omnia discutit, & ex ignoto ignotum elicit. Distingvuntur operationes istæ inter se, ut prior semper sine posteriori esse possit, posterior autem nequaquam sine prior. Quomodo ista ad intellectionem Angelicam sint accommodanda, ex sequentibus speciatim constabit.

6. Consideranda hinc *tria* erunt circa Intellectionem Angelorum, *Objectum, medium & modus*, quibus præmittitur denomi-

natio illa, quod Intellectio dicatur actus seu actio, ut indicetur, Intellectionem non esse ipsam Essentiam Angelicam, sed aliquod tantum superadditum accidens, quod non tantum omnes Theologi nobiscum asserunt, verum etiam naturalibus rationibus demonstrari potest.

7. Disputatione præcedente ostensum est, Angelos esse quoad Essentiam immutabiles, quam immutabilitatem tamen in eorundem Intellectione non deprehendimus, cum transeat à potentiâ in actum & cognoscant ita Angeli vel per divinam revelationem, vel per discursum in contingentibus, de quibus infra. Deinde Angeli ut in Essentiâ, ita & in operationibus suis sunt finiti, adeoque effectus suos per propriam suam Essentiâ non attingunt, nisi mediantibus certis quibusdam accidentibus. Potest *insuper* Angelorum Intellectus unâ cum voluntate perfici habitibus Essentiæ superadditis, qui tamen habitus substantiam immediatè nunquam perficiunt.

8. His expeditis videbimus nunc (I.) *Intellectionis Angelicæ objectum*. Res, quas Angeli intelligunt, sunt quidem multæ, tamen non omnes. Cognoscunt *seipsos* tum quoad Essentiam, tum quoad accidentia quæcumque; cognoscunt & *alios Angelos & Deum*, & *res alias tam materiales, quam immateriales, universales & singulares*.

9. Seipsos & alios Angelos agnoscunt, quum & homo seipsû & alios homines agnoscat, & hoc nisi foret, deterioris conditionis Angeli essent, quàm homines, quod falsum. Cognoscendo itaque seipsos Angeli, simul quoque cognoscunt dependentiam suam à DEO tanquam causa & Creatore: cognito n. effectu, cognoscitur etiam aliquo modo causa ejus. Et si nos ex effectibus devenimus in cognitionem causæ, utique & Angeli in cognitionem causæ devenire poterunt. Atque hinc evidens est, intellectionem Angelorum extendere sese ad reliquas quoque res omnes in totâ naturâ contentas, utpote ad quas sese intellectus extendit humanus.

10. Non v. cognoscunt Angeli omnia, essent aliàs omniscii, quæ omniscientia solius DEI est. Non cognoscunt futura contingentia, imprimis fortuita & casualia, quæ à libero agentis arbitrio in totum dependent. Si tamen futura ex causis suis proveniant necessariò, cognoscunt eadem per certam scientiam, ut Solem cras oriri, ejusque certò tempore fore Ecclipsin: sin autem ex causis suis fiant liberè, & non ex necessitate, sed ut plurimum, cognoscuntur

scuntur ab Angelis non per certitudinem, sed tantum per conjecturam, ut Medicus cognoscit & conjicit vel mortem vel restitutionem ægrotantis.

11. Jam (II.) quod concernit *medium* (quod nonnullis principium dicitur) *Angelicæ intellectiōis*, sunt illud Intellectus seu virtus intellectiva, species concreta & habitus, quanquã duo ista posteriora ad Angelicam intellectiōem non semper requirantur, utpote quando semetipsos intelligunt, vel DEUM ut plurimum tamen concurrunt in externarum rerum perceptione.

12. *Modus* (III.) Intellectiōis Angelicæ fit vel per simplicem intuitionem, quã simpliciter intuentur res naturales, easq; unicō actu intimè perspiciunt; vel per discursivam collectiōem, quã per discursum cognoscuntur ea, quæ antea erant incognita, colligēdo ignota & obscura ex notis jam antè cognitis & manifestis.

13. Cum intellectiōe cohæret *Volitio*, circa quam pariter *objectum*, *medium* seu *principiū* & *modus* considerari poterunt. Item quod volitio non tantū ab Essentia, sed & ab intellectiōe realiter differat, secus ac cū Scotistis sentit Cl. Ebel. disp. 16. Met. §. 23. p. 153.

14. *Est autē volitio Angelica actus à voluntate elicitus, quō Angeli bona cognita appetunt, mala fugiunt.*

15. *Objectum* Ergò *volitionis Angelorum* eò usq; se extendit, quò usq; sese extendebat *objectū* intellectiōis, sed in tantū, in quantū in eò invenitur ratio boni. Voluntas n. non refertur ad aliquid, nisi sub ratione boni sive sit bonum verum sive apparens.

16. *Medium* est ipsa voluntas seu cognitio practica, hinc est, quod Angeli nihil velint, vel nolint, vel non velint, quàm quod judicium intellectus practici in Angelo volendum, vel nolendum, vel non volendum esse præscripsit.

17. *Modus* est voluntas libera; Hinc Angeli nihil volunt nisi spontè & ex præscripto ac dictamine rectæ rationis. Ubi n. datur radix libertatis, ibi datur & ipsa libertas. Atqui in Angelis datur libertatis radix n. judicium intellectus, Ergò. Deinde hoc patet à posteriori: Nam voluntas hominis est libera, multò Ergò magis voluntas Angelica, quæ perfectior est.

18. Hactenus de Operationibus Angelorum internis, sequuntur externæ, ut: Angelorum locutio, variarum rerum productio, motio & assumptio corporum.

19. Primò *De Locutione Angelorum, quæ est actio, quâ aliis singulari quodam modo manifestant suos internos conceptus*, ut B. Dn. D. Scharff. l. c. definit; Hinc duo notanda 1. quod Angeli loquantur, & 2. modus, quomodo loquantur.

20. Angelus a. hîc præcisè secundum naturam & citra corporis assumptionē intelligitur, nec habito respectu, sive loquatur ad Deū s. Angelū quemcunq; vel superiorē vel inferiorē, sive ad hominē.

21. Loquuntur a. Angeli non more hominū per vocis efformationē, ad quam distinctæ partes corporeæ requiruntur, ut pulmo, larynx, fauces, lingua, dentes, labra, quas partes Angeli nō habent; Sed per conceptuū cōmunicationē purificando vocē loquelæ ab imperfectionib9. Et quid loqui aliud est, præscindendo à loquelâ Angelicâ & humanâ, quâ conceptuū cōmunicatio s. manifestatio, hinc ille loqui dicitur, qui conceptus suos alteri communicat.

22. De modo locutionis Angelicæ res paulò est intricatior & difficilior. Cl. Dn. Ebelius sententias varias ex Arriaga Tom. 2. l. p. tr. de Ang. disp. 12. adducit disp. 16. Met. §. 26. p. 154. quæ ibi videri possunt, ipse tamen neutri calculum addit suffraganeum, sed probabiliorem sententiam ad actum disputationis usq; reservavit. S. Augustinus & cum eò Rev. Dn. Scheiblerus, aliiq; τὸ ἐπιχειρῆσαι amplectuntur, ita n. August. in Enchirid. c. 59. *nec sciri, nec affirmari posse, quânam ratione Angeli vel ad aurem forinsecus, vel ad animam hominis loquantur.* Idem habet l. de C. D. 16. c. 16. Vide infra Quæst. 8.

23. Prætereà datur in Angelis *productio rerum variarum*, non tamē omniū, habent potentiâ agendi valentiolem, quàm homo, non tamen infinitâ, sed finitam. Non Ergò possunt creare Angeli, quùm Creatio sit virtutis & potentiæ infinitæ; nec annihilare, nec vera edere miracula, nec speciem in aliam speciē transformare.

24. Non possunt Angeli generare, aut generando sese multiplicare, quia in illis nulla datur vis prolifica, nec præditi sunt organis generandi, imò planè immateriales sunt, & omni semine carent. Nullam possunt producere substantiam, quùm duobus illis producendi modis destituantur.

25. Possunt tamen Angeli multa, eaq; varia in rebus naturalibus præstare, applicando principia activa suis passivis v.g. ignem ustilibus applicando causant incendia; herbam sanantem applicando



cando morbo restituunt sanitatem; aquas cogendo, movendo & turbando efficiunt inundationes. Hoc ipso tamen materiales res non producant, sed agentia naturalia applicant saltem suæ materiæ, ex quâ & in quâ faciunt, quicquid faciunt.

26. Insuper *motio corporum* competit Angelis, quâ variè de loco in locum trajicere possunt corpora naturalia. Potest & Angelus seipsum movere, non quidem motione Physicâ, ac si de loco propriè dicto in locum transferatur; sed analogicâ, quæ sine successione fit in instanti, simpliciter mutando *ubi* suum, & sic exhibendo præsentiam spatio uni, dimisso spatio alio. Non n. in uno *ubi* semper præsens manet Angelus, sed ille ipse Angelus, qui jam hîc est Wittebergæ, in momento potest esse Constantinopoli. Hinc & Angeli non sunt ubiq; sed in ubi finito, non infinito, quia substantia eorum finita est, adeoq; omnia ubi simul ac semel replere non possunt.

27. Habent se tamen ad suum *ubi* non per modum præsentia cum corpore & localem conjunctionem cum illo, ut Vasquezio placet; neq; etiam ita, ut illius præsentia ex parte *ubi*, in quo est, divisibilis sit, ut vult Svarezius, uterq; propterea notatus à Mendozâ disp. 2. th. 16. seq. de animâ, & disp. 17. Met. s. 6. Sed Angelus in suo *ubi* esse dicitur definitivè, quia determinatâ habet præsentia ad certû & determinatû *ubi*, quod per virtutem suam sibi definit, non quidè quoad parvitatem, sed magnitudinem, quia in majori *ubi* esse nequit, quàm quod finitæ ipsius essentiæ respondet.

28. Ultimò locò *de Corporum assumptione*, in quibus apparere solent nonnunq. Angeli agendum. Ex sacris literis res clara est, nec adeò obscura ex naturâ. Experientia enim testatur, quod Angeli corpora quandoq; assumant, imprimis si ex præcedentibus quoq; repetatur, quod talis unio cum corporibus & in iis apparitio non possit animabus tribui separatis, & imprimis effectus quidam, qui vires animarum separatarum excedunt, ab Angelis tamen illis apparentibus producantur, notentur.

29. Assumunt v. corpora non per unionem Essentialem seu substantialem neq; corpus informando, neq; eidem hypostaticè seu personaliter uniendo. Angelus enim substantia completa est, non alterius rei pars Essentialis, ideoq; nec forma informans esse potest. Neq; potest Angelus hypostasin suam communicare alteri

naturæ

naturæ naturaliter, quod tamē supernaturaliter fieri posse disputat Becan9, quamvis penes omnes in confessio sit, corpora illa naturaliter fuisse assumpta per virtutem sc. naturalem; sed assumunt corpora Angeli *συστηνω̄ς* seu per unionem accidentalem.

30. Requiritur a. ad unionem hanc *συστηνω̄ς* 1. ut in illis existant sicut motor est in mobili, 2. ut Angeli substantialiter existant in corporibus assumtis, & 3. ut uniantur iis tanquam instrumentis ad præsentandum eò modò, quò fieri potest, similitudinem sui & ad obeundas operationes proprias Angeli, non alterius, ut ex Francisco Carriere Aptensi Minorita Pœnitentiar. Apostolic. & Concionat. Regio in fid. Cathol. digesto quæst. 9. de Creatione Angelorum p. 253. Pl. Rev. Dn. D. Calov. Tom. 4. System. Theol. art. 1. c. 2. qu. 19. p. 283. seq. refert.

31. Ne peculiari opus sit tractatione, placet hîc insuper addere *Angelorum numerum & distinctionem*. Tribuitur Angelis numerus non quantitativus, verum analogicè ita dictus, qui nullam infert quantitatem secundum B. J. Mart. Exerc. 10. Met. th. 4. p. 392. quem tamē numerum reëti9 forsitan transcendentalē appellare possum9. Conf. Dn. Zeisoldus disp. 6. Pnev. art. 2. punct. 4. §. 39. p. 273.

32. Esse v. Angelos plures ex Scripturâ certum est, nec non ex naturâ, quod diversissimi ostendunt effectus in locis etiam disjunctis. Quotus a. numerus ille sit & quantus, nullibi definiri potest, hoc tamen concedendum est, quod numerus Angelorum sit finitus, non infinitus, licet valdè magnus sit.

33. Distinctionem Angelorum, quod concernit; *Differunt illi vel numero; vel specie, vel Qualitatibus*. De diversitate sive numericâ sive specificâ vix certi quid determinare licet, & dubiû est intricabile. Nam 1. Angeli possunt esse solo numero distincti, quippe quæ distinctio numerica Angelis non repugnat, sed eandem potius stabilire videtur convenientia operum Angelicorum, quæ lumine naturæ cognoscimus. 2. possunt esse Angeli omnes specie distincti, cum quia nec hoc importat contradictionem, neq; negari potest, speciem posse conservari in uno Individuo. Tutissimum Ergò videtur hîc cum multis præclaris & Theologis & Philosophis *τὸ ἐπιχειρῆν* amplecti, & neutri subscribere ex toto sententiæ.

34. Deniq; *diversitas Angelorum ratione Qualitatum est*, quod alii sint boni, alii mali. Gentiles etiam modo aliquo Dæmonem bonum

bonum & malum agnoverunt; unde putarunt, cuiq; hominum Angelos esse duos, bonum, qui custodiat, malum, qui vexet. Et oracula etiam malos ostenderunt Angelos propter fallacia, quæ dedere, responsa: Cræsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim. Ibis redibis non peribis. Ajo te Æacida Romanos vincere posse: λοιμὸς pestis, morbus, pro λιμὸς fames, esuries. Hinc & referunt historici, quod præsentibus Christianis tacuerint & ab illis expelli potuerint, unde vox in sacris eorum solemnibus: *Excant Christiani*. Huc pertinent & illi versiculi quos oraculum Augusto Imperatori consulenti redidisse dicitur:

Me puer Ebræus Divos Deus ipse gubernans  
Cedere sede jubet tristemq; redire sub orcum.

35. Multò tamen exactiorem atq; pleniorẽ de bonitate militiavè Angelorum è S. literis habemus cognitionem. Hinc aliis recensendis super sedemus, & pergimus ad quæstiones.

*Qv. I. An Intellectus & Voluntas in Angelis sit accidens ab ipsorum Essentiâ distinctum?*

*Nominales* post Scotum suum, Gabrielẽ Occamum & alios distinctionem saltem rationis defendunt: *Reales* post Thomam distinctionem realem. Illos ex nostris sequitur Cl. Ebelius Met. d. 16. c. 3. §. 20. & disp. 17. Met. c. 2. §. 23. Et Coll. Met. Spec. disp. 6. s. 3. art. 1. p. 140. Horum v. sententiam communiter amplectuntur hodiè omnes. Adrian. Heerebord rationes ab ipso Thomã part. 1. qu. 54. art. 1. allatas vellicare tentat disp. 14. volum. 1. disp. Phil. Select. ipse tamen firmiorem non affert, nisi ex eodem Thomã l. c. art. 2. quod scil. *nulla actio Creaturæ sit ejus esse sive sit actio immanens, sive transiens*, atq; hinc concludit: *Quid multis opus est? aliud sanè est loqui de esse rei, aliud de ejus operatione sc. in Creaturis: quantumvis n. actio seu operatio sit intrinseca rei, ut est actio immanens, nunquam tamen est ejus Essentiâ, quia semper ab illâ distinguitur, cum ab illâ profuat & promanet, & nullum posterius sit idem cum suo priori, nec ullum effectum sit idem cum causâ & contra. Concludimus Ergò impossibile esse, ut intellectio Angeli aut cujuscunq; Creaturæ sit ejus substantiâ vel esse, atq; sic concedit, Intellectionem Angelorum à substantiâ esse distinctam, quod tamen de Intellectu negavit disp. 13. cum Durando in 2. sent. dist. 3. qu. 5. Dn. Ebelius l. c. p. 168. dicit: *Entia ita sine manifestâ necessitate multiplicari*. Verùm id quod dicit non*

B

probat

probat, nec alias rationes adducit. Examinare ibi vult cum Arriagâ disp. 3. de animâ, sect. 3. subsect. 1. p. 475. rationes Thomistarum nonnullas, sed rem magis involvit, quàm evolvit, adeò ut præstet, eadem non vidisse, quàm legisse, ut rectissimè de hujusmodi tricis & involueris judicat B. noster Sperling. l. 1. anthrop. c. 2. qu. 2. Videbimus tamen obiter, ne prolixi nimis simus, ejus rationes, quarum duas habet disp. 6. Coll. Met. Spec. s. 3. art. 1. punct. 1. Ponit ibi hanc affectionem: *Potentia cognoscitiva in Angelis non est accidens reale superadditum Essentia illorum.* Et probat eam ex disp. 24. s. 1. art. 1. affect. 1. quod ejusmodi modus agendi sine accidente, ut potentiâ superadditâ, conveniat Creaturæ. Ergò imprimis Angelo ut omnium Creaturarû perfectissimæ. *Si nullum Efficiens creatum, colligit, est operativum per propriam substantiam, sed indiget accidentibus superadditis vel naturalibus potentiis, tanquã principis formalibus vel rationibus causandi proximis, id vel ex perfectione est, vel imperfectione; Sed ex neutro id habere potest, E. falsum est, quod eis indigeat.* Minorem probat quoad perfectionem: quia major est perfectio per propriam substantiam posse operari, quàm per accidentia superaddita, unde etiam hic modus operandi solet attribui DEO, ut agenti omnium perfectissimo. *Quoad imperfectionem, quia longè imperfectiora sunt accidentia, & operantur per se immediatè absq; aliqua potentiâ superadditâ, atq; sic existimat, quod accidentia ita fortè aliis accidentibus indigerent.* Verùm objectioni huic jamdudum satisfacit desideratissimus noster Sperlingius l. c. qu. 1. p. 114. Et quod ille dicit de animâ, nos ad Angelum benè possumus applicare: *Datur medium, inquit, inter perfectissimum & imperfectissimum. Anima nostra (Angelus) nec summè perfecta, nec summè imperfecta est. Habet entia suprâ se: habet entia infrâ se. Ergò admittit potentias realiter à seipsâ distinctas, quas non haberet, si foret aut summè perfecta, aut summè imperfecta.* Ita & Angelus nec est summè perfectus, nec summè imperfectus. Habet & ille Ens suprâ se, Entia infrâ se &c. Deinde probat assertionem datam à simplicitate animæ. *In animâ, dicit, potentia intelligendi non est accidens superadditum, quomodo ergò in Angelo sit, in quo major habenda ratio simplicitatis & perfectionis, quàm in animâ.* Sed ita egregiè petit principium, dum incertum per æquè incertum probat. Pariter n. illud negamus, quod potentia

rentia intelligendi in animã non sit accidens superadditum. Utrique accidens est superadditum. Provocat quidem ad disp. seq. 7. f. 4. art. 1. Sed frustra. Nullam aliam ibi adducit rationem, quàm quod sic Entia præter necessitatem multiplicentur, de quâ lis est adhuc sub Judice. Si fortè velit prætere simplicitatem, ut videtur, Respondemus, simplicitatem, nec Angelis, nec animæ obesse, quò minus in iis sit compositio ex subjecto & accidentibus. Simples sunt Angeli, simplex est anima nostra non absolute, sed respectivè; non ἀπλῶς, sed κατὰ π. Ut Ergò eruditio, Pietas & sanctitas, animam, addo & Angelum, simplicitate non spoliant: ita nec intellectus, voluntas &c. ait ibidem B. Dn. Sperlingius.

Qv. II. *An Angeli possint cognoscere DEUM naturaliter?*

Num Angeli cognoscant DEUM per speciem, sin minus, postmodum dicetur? Hic v. simpliciter saltem de cognitione naturali quæstionem instituimus sine intuitu & respectu ad cognitionis medium. Affirmativa verò quæstionis istius probatu haud difficilis est, sive quærat de statu Angelorum naturali, sive gratioso. Hunc v. statum, quem Philosophus, quâ talis, ignorat, mittimus, probaturi unicè naturalem Angelorum de DEO cognitionem. Ubi tamen præsupponimus, quod non tribuamus Angelis comprehensivam aliquam cognitionem de DEO. Nam DEUM intelligunt Angeli in se, ut exiguâ quâdam divinæ celsitatis effigie & imagine: in re verò aliâ, ut in speculo divinam Essentiam contuentur & contemplantur; sed apprehensivam saltem admittimus notitiam. Deprehenso n. & cognito effectu, aliquò modò etiam cognoscitur causa necessariò sc. à posteriori, quia omne Effectum causam suam arguit. Et hoc etiam homo præstare potest, multò Ergò magis Angeli, qui excellentioris longè & perfectioris sunt conditionis. Egregiè Mars. Ficinus in Platon. Conviv. orat. 5. c. 4. loquitur: *Angeli sancta mens, nullo impedita corporis ministerio, in seipsâ reflectitur, ubi Dei vultum in sinu suo insculptum introrspicit, inspectum ilicò admiratur, avidissimè semper inhaeret: vultus illius divini gratiam, pulcritudinem dicimus: aviditatem Angeli DEI vultui inhaerentem, vocamus amorem.*

Qv. III. *An Angelus cognoscat seipsum?*

Affirmativam facilè tuebimur, dummodo concedatur, animam humanam se ipsam cognoscere. Quod, quia nemo in dubium

vocabitur; facile, facile quoque de Angelorum propria cognitione obtinebimus, quod Spiritus illi seipso pariter cognoscant. Prolixioris tamen discursus videtur esse, quando porro quaeritur: *An Angelus cognoscat alium, inferioriorem, superioriorem?* Et respondemus nos breviter cum Scheiblero l. 2. Met. c. 4. art. 2. p. 2. p. m. 204. Quod utique Angelus Angelum cognoscat, quia homo hominem cognoscit, quum tamen Angelorum cognitio perfectioris sit ordinis. Deducit quidem argumentum quoddam Scheiblerus inde: quia Angeli sunt cives unius Reipublicae, Ergo oportet, ut se invicem propter mutua officia cognoscant. Num v. hoc argumentum stringat, videbimus forsitan in conflictu. Deinde Angelus inferior cognoscit superiorem sive sit numero, sive specie distinctus. Si numero, tunc unum Individuum unius speciei cognoscit aliud; si specie, tunc habent commune Genus. Sicut a. homo potest cognoscere Angelum, vel etiam Deum, ita & Angelus inferioriorem. Tandem Angelus superior cognoscit inferiorem, quia & homo viliora se cognoscit. Cont. Rev. Dn. Scheibl. l. c.

*Qv. IV. An Angelorum cognitio extendat sese ad futura?*

Futura supra distinximus in necessaria, contingentia & casualia. *Necessaria utique cognoscunt Angeli, ut Ecclipsin; contingentia conjecturaliter; fortuita seu casualia nullo modo.* Necessaria ex lumine naturae praevident Angeli, sicuti & ea, quae fiunt ut plurimum, licet non infallibiliter sicut Deus, cujus solius est praescire futura quaecumque; notitia infallibili & certa; Quum n. Deus ad omnia concurrat, utique non potest non praescire ea, quibus vult concursum suum largiri. Atque hinc ex consequente fluit, quod agentia alia creata extra Deum propter istam a Deo in operando dependentiam, futura neque quoad actus proprios, neque quoad actus alienos possint praescire, quum Deus concursum possit suspendere, ut ea, quae vel maxime naturalia, fieri tamen non possint. Nilominus tamen, quum & ipse hominis intellectus sufficiens sit futura necessaria praedicere, utpote Ecclipses, tempestates, dispositionem aeris &c. sequitur, quod idem etiam de Angelis sit asserendum. Medicus praedicat aegroti vel sanitatem, vel mortem, & quod quis peritior Medicus est, eodem etiam certiora de se sistere potest prognostica. Hinc appositè colligit Thomas I. p. q. 57. a. 3.

*Quia*

*Quia Angeli peritissimi sunt rerum naturalium, & earum vires ac dispositiones nunc ultra aliquot annorum millia intuiti sunt, prætere ad longè majori intellectus lumine valent, quàm homines, quod longè exactius de ejusmodi futuris judicare possint, quàm quisquã mortalium.* Possunt tamen actus liberi Angelorum impediri divinitus, uti dictum, hinc eosdem non nisi conjecturaliter præscire possunt. Actus v. liberos alienos, ubi vident dispositiones in agentibus, sciunt quoq; conjecturaliter: ubi v. eas dispositiones non vident, sciunt nullo modo. Prius patet, quia agens liberum potest dispositiones illas jam factas mutare, atq; sic agere, vel non agere. Posterius, quia remotis illis dispositionibus non nisi ad voluntatem est respiciendũ, quæ indeterminata est ad hoc vel illud agendum, vel non agendum. Tandem nec casualia seu fortuita conjecturali notitia præscire valent; hinc & factum, quod Diabolus, volens ejusmodi casualia, quæ vires ejus superant, prædicere, semper adhibuerit ambiguitates vel in vocibus, vel phrasibus, vel alio modo, prout ex exemplis th. 33. allatis constat. Atq; hinc simul constare poterit, quid de cogitationibus hominum Angeli cognoscant.

*Qv. V. An Angeli intelligant per speciem?*

Objectum Intellectionis Angelicæ hinc erit distingvendum. *Intelligit Angelus seipsum, res creatas & ipsum DEUM.* Seipsum intelligit, ut objectum potentia unitum per semetipsum, per reflexionem actus, non per speciem sui, cum representantia sint extra Intellectum. Res alias creatas, ut & ipsos Angelos intelligit per species ingenitas. Nam si Angelus per speciem non intelligeret, cognosceret omnia per substantiam, atq; sic substantia Angelica omnia contineret, quod finitati ejus repugnat. Non etiam intelligeret distans ab eâ, quia objectum cognoscibile, ut intellectio fiat, debet uniri cum potentia cognoscente. Ut Ergò objectum illud uniendum adit, requiritur sanè species. In cognoscendo a. DEO Angelus specie non utitur, nec uti potest propter illius immensitatem, quippe qui non potest à seipso quasi egredi, ut sui speciem offerat intellectui, quam rationem nobis suppeditat Scalliger Exerc. 298. f. 14. & Exerc. 310. f. 8. Acerrimè aliàs hinc controversatur inter Thomam Aquinatem & Johannem Duns Scotum **Hic cum Sociennis DEUM per speciem intelligi ab Angelis asserit,**

pro quibus etiam nonnulla disputat Heerebord. disp. 15. l. c. th. 4. Ille v. nobiscum negat. Interim tamen bene notandum, quod, quando Angeli negantur DEUM intelligere per speciem, eò non concedatur, ac si per propriam suam Essentiam Angelicam tanq. immediatum Intellectionis objectum DEUM cognoscant; Sed id tantum dicitur, quod Angelus, quando Essentiam divinam tanq. immediatum & proprium Intellectionis suæ objectum apprehendit, non opus habeat aliquam specie intelligibili seu adæquatè seu inadæquatè eam representante, quia Intellectus Angeli DEUM intuens immediatè cum ipso unitur. Falsi Ergò sunt Scholastici alii, qui medium per quod intelligunt Angeli, dixere speculum divinum, in quo omnia viderent & cognoscerent. Sed ita forent Angeli omniscii, illi np. qui in sanctitate & bonitate concreatâ perstiterunt; qui v. lapsi & à DEO alienati sunt, nihil intelligerent. Conf. B. Dn. Jac. Mart. Exerc. 3. l. 2. th. 4. p. 598.

*Qv. VI. An Angeli cognoscant singularia?*

Averroes id negat, quem defendit Zimara l. 2. de Cælo contr. 10. ex hâc ratione, quod species, per quas intelligunt Angeli, tantum sint universalium. Verum quum & Angelus seipsum intelligat, DEUM itemq; qui singularissimus est, hinc dicit Thomas 1. p. qu. 75. art. 2. tam perfectas Angelorum species esse, ut simul singularia representent. Vid. B. J. Mart. l. c.

*Qv. VII. An Angeli intelligant componendo, dividendo & discurrendo?*

Negativa ex præcedentis Disputationis th. 16. patet, quod np. Intellectus Angelicus non perinde ac humanus discursu opus habeat, aut compositione ad intelligendum vel concludendum conclusionem ex principiis, vel effectum ex causâ, vel proprietatem ex Essentiâ, quum omnia simpliciter intueatur; Interim tamen, quia Angelis non competunt saltem species intelligibiles concreatæ seu insitæ, quæ illis à naturâ statim insunt, & ab initio Creationis fuerunt inditæ; sed & acquisitæ, quæ aliunde addiscuntur & acquiruntur, prolixitatis evitandæ causâ saltem objectum cognitionis Angelicæ distingvendum erit. Sunt autem objectum illud res vel necessariæ, vel contingentes. Res necessarias ex causis naturalibus dependentes per innatas species simpliciter intuentur, atq; harum rerum habitum sibi non acquirunt  
Angeli



Angeli, sed simpliciter vi naturali introspiciunt atq; intelligunt. Contingentes v. per acquisitas species cognoscunt. Atq; sic probabile est, dicit B. J. Mart. l. c. *per talem cognitionem Intelligentiam sibi acquirere habitum, qui non sit illa virtus Intellectualis, sed similis opinioni humana.* Atq; hoc fieri potest, quando arcana scrutatur & intelligit aliquid de arcanis & internis cogitationibus hominum, aut futuris contingentibus, quorum notitias ingenitas non habet. Conf. Rev. Dn. Scheibl. l. 2. Met. c. 4. art. 3. punct. 5. & 6. n. 183. seq. p. 210. Et Adrian. Heerebord. disp. 15. l. c. th. 7. §. 3. p. 57.

Qv. VIII. *An Angelis competat locutio?*

Quæ & qualis Angelis competat locutio, in thesib9 est explicatum. Et sanè cum homines invicè conceptus suos communicare possint, cur eandem potentiam ab Angelis remove vellems? Communicant utiq; & isti Spiritus suos sibi concept9 sine distantia lociq; impedimento, quod ex variis illorum apparitionibus, oraculis & illis, quæ ex profanis autoribus nota sunt, manifestum est. De modo tamen loquendi certi quid determinare, integrum jam non est. Videbimus tamen, num sententia illa Scoti 2. d. 9. q. 2. quâ Angeli dicuntur loqui per impressionem specierum, ut effectivè alteri imprimant conceptum similè conceptui isti, quem habent in suo intellectu, locum hîc habere queat? Utur verò hæc opinio non adeò improbabilis, opponit tamen eidem Dn. Ebeli9 disp. 6. Coll. Met. Spec. art. 3. non immeritò has rationes, quod (1.) *Sequeretur, Angelum loquentem agere in distans, vel non posse absentem loqui.* (2.) *Locutionem sic non esse in loquente, sed audiente, cui species imprimitur.* (3.) *Arcana cordis humani nō innotescere ante, quàm locutione manifestantur. An Ergò homines quoq; Angelis speciem aliquam imprimere possunt?* quod si v. rationes istæ non adeò firmæ videantur, addi potest (4.) quod etiam Angeli DEO dicantur loqui, cui tamen speciem imprimere non possunt, Et (5.) quod non possit sufficienter explicari, in quo consistat impressio illa, adeoq; obscurū per æquè obscurū exponatur. Sin v. de locutionis modo Angelorū omninò aliquid decidendū, præstaret fortè cum Thomâ & Cajetano dicere, *locutionē Angeli esse liberā secreti ad eū, cui loquens id patefacere vult, ordinationē, vel directionē, quæ directio est conditio, sine quâ secretū non intelligeretur, quâq; positâ, sine aliâ mutatione mens loquentis statim intelligitur, ut existimat Dn. Ebel. l. c.* Sed nec hæc explicatio dubio & obscuritate caret.

Q. IX. *An*

*Qv. IX. An Angeli vera possint edere miracula?*

Pro negativâ argumentamur h. m. Quorumcunq; Essentia est finita & dependens, illorû etiâ potentia talis est, Atqui Angelorum Essentia, Ergò. Quorû a. potentia est finita, dependens & limitata, illi etiâ vera edere miracula nō possūt, quippe ad quæ virtus requiritur infinita, independēs & illimitata. Nō itaq; poterunt excitare tempestates, nec mutare species, aut alios ejusmodi insolitos, inusitados & prodigiosos efficere effectus. Vid. B. Dn. D. Scharff. l. 3. Pnev. c. 5. qu. 4. p. 392. & 372.

*Q. X. An Angeli in corporibus assumtis possint edere actus vitales?*

Unde Angeli assumant corpora aliàs disquiritur. Becanus aliiq; censent, assumere Angelos nōnunq. corpora defunctorû & in illis apparere. Sed id minus probabile videtur; Nā missis iis, quæ aliàs de statu defunctorum post mortē de fide nobis certa sunt, obstare hīc illud videtur, quod corpora illa defuncta retineant adhuc penes se aliquas affectiones corporû naturalium, quantitatem imprimis, & quæ hanc sequitur, naturalem & localitatem & motionem de loco in locum. Quando v. Angeli in corporibus assumtis apparerent, tunc neutra ex hisce affectionibus adeò observatur, ut cadavera ex sepulcris exfodiantur, & per remotionem aliorum corporum quantorum ad nos perveniant. Adde quod sæpè etiam spectra illa appareant in formam corporum illorum defunctorum, quæ jam dudum corruptione sunt absorpta, vel saltem ipsi proxima. De actionibus, quas Angeli in corporibus assumtis edere solent, disputatur hīc, qualesnam eæ sint? Et conveniunt pleriq; , quod non possint edere actus vitales propriè dictos, similes tamen vitalibus edant, quod & nos admittimus. Num v. loco motivas actiones Angeli in corporibus assumtis propriè dictas edant, quod Thomas, Cajetanus, Becanus, Suarez alii, ex nostris itidem Scheiblerus & Ebelius asserunt, de eò omninò dubitamus. Ad actionem quippe loco motivam propriè dictam in movente requiritur vis loco motiva propriè sic dicta. Hæc v. in Angelos non cadit, quia illi non sunt in loco neq; per se, neq; per accidens, nec sunt capaces potentiam alicujus materiam in subiecto præsupponentis, qualem vim loco motivam Physici esse docent.

T A N T U M.

Angelorum Creatori Gloria!

05 A 2508

ULB Halle

3


004 544 811



*[Handwritten signature]*







Farbkarte #13

B.I.G.

*...tore annuente!*

nibus An.

rum,

SIDE

NITIO, Elstrâ-Lufato,

Sax. Alumno,

*Albim Academia*

ii, Anno 1662.

*t publicè*

*rio Minori,*

natut.

MÜLLERUS,

nsis Lufatus.



BERGÆ,

AMELIS Wendt.